



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi Thomae

Cvm Variis Indicibus

De Deo Effectore, Creaturarum Omnium Tractatus II. De Opere Sex
Dierum, Ac Tertius De Anima

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1622

VIII. Quid sit intellectus agens & possibilis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93575](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93575)

CAPVT VIII.

Quid sit intellectus agens & possibilis.

^{1.} *Idem lib. 1. de Angel. c. 1. num. 14. Notatio pro resolutione.*
Diximus de obiectis, & actibus intellectus agentis, & possibilis, dicendum superest de ipsis potentijs. Et quoniam vna sine altera perfecte non cognoscitur, de vtraque breuiter agendum. Est ergo in parte intellectiva anima nostra duplex productio, nempe speciei, & actus, duplexque receptio correspondens, vtraque vero debet fieri ab spirituali virtute, & in potentia spirituali, vt ex dictis patet. Est autem potentia eadem receptiva speciei, productivaque actus intelligendi, quæ intellectus possibilis vocatur, quia ex natura sua est potentia, vt speciebus rerum omnium informetur, & per eas intelligat: at verò virtus productiva specierum, quia recipiendi minus non habet, sed tantum agendi, ideo ab actione denominatur agens, diciturque intellectus, non quia intelligat, cum solum producat species, quæ productio intellectus non est (obiectum enim sensibile species quoque producit, nec tamen sentit) sed quia res intelligibiles reddit.

^{2.} *Differentia duplex inter intellectum possibilem & agentem.*
 Hinc porro duæ colliguntur differentie inter has potentias. Prima, quod altera sit cognoscitiva, altera minimè. Secunda, quod actio intellectus possibilis vitalis sit, atque immanens, cum sit actio cognoscendi: at intellectus agentis operatio ex se, & ex proprijs non item: productio quippe speciei ex suo genere posset à re non viuente fieri, vt proxime de obiecto sensibili diximus. Actio ergo intellectus possibilis ex proprijs vendicatur esse à principio intrinseco actui: non verò intellectus agentis actio: & hinc est, quod actio intellectus possibilis de se sit immanens, actio verò agentis ex modo suo transiens esse queat: consistit ergo ratio, & diuersitas vtriusque potentie, saltem quantum ad quid nominis. Ad explicandum autem quid rei earum, alia dubia sunt enodanda.

^{3.} *1. Dub. in præsent. cap. quid sit virtus que intellectui. Externorum philosophorum vna placet.*
 Primum est: an uterque istorum intellectuum sit vera anime potentia? In qua re Græci ferè omnes hallucinati sunt, ponentes intellectum agentem, & possibilem esse substantias separatas, concedentesque anime nostræ tantum cogitativam, quam intellectum passiuum vocant. Ita Theophrastus, & Themistius lib. 3. de Anima, Alexan. autem lib. 2. inquit intellectum agens esse Deum ipsum, ac quod saltem sit substantia aliqua ex separatâ, putarunt Arabes, Auempace, & quos refert Albertus 3. de Anima, tract. 2. cap. 4. Auerrois 3. de Anima, text. 5. & 20. & 12. Metaph. text. 17. Auicenna quoque 9. Metaph. cap. 4. credit intelligentiam vltimam, quæ præsidet sphaeræ actiuorum, & passiuorum esse intelligentiam agens, quæ gubernat animas nostras, & 6. natural. p. 5. c. 5. & 6. addit species intelligibiles esse in ea ipsa intelligentia, ex illa que deriuiari in easdem animas. Huic sententie fauere videtur Aristoteles 3. de Anima, textu 19. & 20. vbi de intellectu agente ait, quod passione vacat, ac separabilis est, cum sit substantia actus: & infra ait, Non quandoque intelligit, quandoque verò non intelligit, separatus verò id est, solum quod est, atque id solum est immortalis, &c. Et Alexander ex mente Aristotelis ipsius probat intellectum agentem, Deum esse, cum doceat intellectum agentem omnia facere, quod solum Deus est.

^{4.} *Improbatur.*
 At enim, quod ad intellectum possibilem attinet, sententia hæc erronea est in fide, & in philosophia delirium, quod supra latè probauimus lib. 1. à cap. 9. tum absolute, tum etiam in sententia Aristotelis. Quod verò pertinet ad intellectum agentem, certum etiam habetur esse veram anime potentiam. Ita D. Thom. 1. p. q. 79. art. 4. Colligitur etiam ex eodem in q. 84. art. 4. vbi opinionem Aui-

cennæ improbat, & Platonis species intelligibiles fieri ab ideis: certum autem nō dico, quod putem de fide. Nam quod intellectus agens, aut etiam species intelligibiles dentur, de fide non est: nec præterea vllus error in fide esset sentire illas à Deo, vel intelligentia aliqua produci. Rursus non dico certum quod euidenti demonstratione habeatur, nisi quantum res philosophica, ea que tam abdita patitur. Probat ergo ratione Aristot. in 3. de Anima, c. 5. nam cum anima nostra ab intrinseco sit intellectualis, ab intrinseco habere debet necessaria ad exercendas intellectuales operationes, natura enim nō deficit in necessarijs, nec ordinat rem ad actionem, pro qua exercenda non conferat requisita, vnum autem ex requisitis ad intellectus opera, est maxime productiva vis specierum intelligibilium, cum sine eis intellectus non fiat: habet ergo anima nostra hanc virtutem, siue potentiam. Quam rationem S. Th. optime prosequitur: confirmaturque primo. Nam si virtus productiva specierum esset substantia separata, non penderet in illarum productione à phantasmate, neque à corpore, quia actio intelligentiæ separata superioris rationis existit: consequens autem est fallum, & contra dicta: ergo, &c. Confirmatur secundo: quoniam in sensibus non desideratur aliquid ens separatum, quod perficiat species, sed in exterioribus ipsa externa sensibilia eas efficiunt, in interioribus autem virtus aliqua ipsius sentientis: idem ergo erit in intellectu possibili, probatio tamen Aristotelica potissima est, atque à priori.

^{5.} *Inflatur Aristot. ratio.*
 At dices, illa ratione concludi non valet, intellectum agentem esse potentiam anime, sed esse tantum virtutem quandam necessariam, ideoque à natura prouisam pro illa ipsius actione, quemadmodum sensus etiam indigent virtute mouente, quæ tamen potentia anime non est, sed externum sensibile: celum quoque indiget mouente aliquo, qui tamen potentia celo interna dici non potest. Respondetur verò Aristotelis rationem concludere propriam anime potentiam ex illo principio in philosophia manifesto, Naturam perfectam ab intrinseco habere eumque necessariam ad suas actiones exercendas, quod planè in ista tamen non habet: adducta vero ad rem non faciunt: celum enim non indiget motu ad propriam actionem, & perfectionem, vt etiam diximus in lib. de celo, q. 8. Quod si indigeret, argumentum certè concluderet motum illius à virtute intrinseca proficisci, vt etiam ibi diximus: sensus porro externus cum proprium obiectum sibi proportionatum vendicat, non eget actiua vi specierum, neque obiectum ipsum censendum est extrinsecum agens, sed potius maxime conaturale potentie cognoscitiue, vnde si possibilis intellectus obiectum sibi proportionatum sortiatur, non egeret plane intellectu agente: atque hinc etiam concludi potest hanc esse Aristotelis mentem, cum credendum non sit plus illum sua ratione conficere, quam intenderit: quod patet etiam ex ipsius verbis, quæ scite notauit Philoponus primò, quia postquam docuit in omni natura esse agens, & patiens, subdidit in citato cap. 5. text. 17. Necesse est has easdem differentias anime inesse: aperte igitur significat agentem intellectum in anima residere, atque adeo potentiam illius esse: intelligentia vero separata in anima nō existit. Secundo, quia si intellectus agens intelligentia aliqua foret, actu separata esset: Aristoteles verò solum dixit intellectum agentem esse separabilem: non sentit ergo esse intelligentiam: quare cum infra intellectum agentem separatam vocat, intelligit aperte separatam ab organo corporeo, cum sentiat esse potentiam spirituales, ac minime organicam, cum vero ait esse separabilem, intelligit omnino à corpore per separationem anime, cui inhaeret.

Confirm. 1.

Confirm. 2.

Inflatur Aristot. ratio.

Sustinetur tamen.

Dicitur etiam est in disp. 15 Metaph. sect. 1. n. 17.

6.
Brodatus
notat Ari-
stotelem cen-
sus circa in-
tellectum.

Verba tamen, quae de hoc intellectu agente Aristoteles in textu 19. addit, *mixtus est, & impati-*
bilis, cum sit substantia actus ens, difficillima sunt, & ideo
diversimodè transferuntur, & exponuntur Argypoli: ergo dicto modo vertit, Philoponus legit,
& affectione vacuus cum substantia sit actus. Simplicius
ita, ex substantia actus existens. Itaque duo hi postero-
res Philosophi exponunt operationem potètiæ esse
eius substantiam, cumque intellectus agens potètia
sit activa, ideo substantiam eius dici actionem, hoc
verò falsum est, quia in solo Deo eius operatio est
substantia, ut alibi docetur. S. Thomas, quem ple-
rius sequuntur, exponit, *est substantia actus*, id est,
secundum essentiam suam (quæ ibi substantia ap-
pellatur) actus est, seu potentia activa. Ratio expo-
sitionis redditur, quod illis verbis asseratur ab Aristotele
causa, cur in illis actibus falsus vacet intel-
lectus, nempe quia non concurrat ad intelligen-
dum, ut potentia recipiens: sed ut agens tantum,
modo, unde substantia eo loco non importat rem
de prædicamento illo, sed essentiam, vel entitatē,
ut sensus sit, *est substantia actus*, id est, secundum en-
titem suam actus est. Quæ expositio omnino pro-
babilissima videtur, stante cōmuni illa Argypoli
translatione: possunt verò aliter transferri verba
Philosophi ut substantia non nominandi, sed gi-
gnendi casu legatur, hoc modo, *est substantia actus*,
id est, animæ, cui principium agendi confert, vide-
turque id literæ Græcæ consonum, nam vox Græ-
ca significans substantiam non absolute ponitur,
ut solet, in recto, sed ei additur articulus sequentis
casus. Verba autem subiecta, nimirum, *non quando-*
que intelligit, quandoque non intelligit, referenda non
sunt ad intellectum agentem, de eo enim iam do-
cuerat Philosophus minime intelligere, eo quod
non esset, *omnia fieri*, sed referenda ad scientiam in
actu, dixerat enim scientiam in actu posteriorem
esse scientiam in potentia in eodem subiecto, addi-
dit tamen, non simpliciter, & absolute, pro qua li-
mitatione probanda subdit scientiam in actu, id
est, actu scientem semper intelligere: nam licet v-
nus, & idem non semper intelligat, absolute tamē
inter habentes scientiam nunquam deest, qui actu
intelligat, atque ita simpliciter loquendo non est
prior scientia, quam sciendi actus. Sic exponunt
in citato loco Philoponus, & S. Thomas, ac rur-
sum de spiritualibus creaturis a. 10. ad 3. & de Ani-
mā a. 5. ad 1. Aliam quoque expositionem tradit idē
S. Doctor 1. p. q. 79. a. 4. ad 2. q. 10. de veritate, a. 8. ad
ultimum, quæ tamen non videtur adeo consona
literæ.

7.
Prior e-
modatio.

Sunt & alia, quæ Aristoteles eo in capite subij-
cit in hæc verba, *Separatus autem, id est, solum quod est,*
atque id solum est immortale, perpetuumque, qui tamen non
recordatur, quia est impassibilis: intellectus autem passibilis
corrumpitur, sine quo nihil intelligit anima: difficilia
valde. Etenim non constat, quid intelligat per ver-
bum separatus, an ne intellectum agentem, an ve-
rò possibilem: unde etiam obscurum est, cui tri-
buat immortalitatem, cui verò mortalitatem: vi-
dentur ergo interpretanda citata verba in hunc
modum. Sola pars animæ, quæ intellectiva est, &
separata manet, immortalis est, sub qua certè par-
te intelligitur, atque adeo dictio solum partes ceteras ani-
mæ excludit, sensitivam scilicet, ac vegetativam:
prædicta pars est id, quod est, seu est subsistens, & per
se intelligens, quæ cum superata inuegitur, non
recordatur, eo scilicet modo quo in corpore: cum
non intelligat ministerio phantasie: siquidem ista
in separatione animæ corrumpitur. Unde nō malè
dicitur intellectus ille paribilis, qui corrumpitur,
intellectus quidem, quia intellectui ministrat, &
non nihil rationis participat, dum rationi subdi-
tur, & ab ea dirigitur, ut idē Aristoteles observavit.

Phantasia
quo sensu
appellatur
intellectus
passibilis.

1. Ethic. c. vi. & l. 6. c. i. patibilis autem, vel quis pri-
prie pati potest, phantasmata impressa, expressa recipiendo, vel quia eius operatio non sine passibili-
bus amoris, vel odij exercetur, &c. ut i. de Anima
textu 66. habetur. Atque ita exponunt Philoponus,
& S. Thomas. In qua tamen expositione vnus re-
stat scrupulus, quæ eundem vocis æquiuocationem
admittit in vno contextu: nam in principio capi-
tus intellectus passibilis accipitur pro verà potètia
intellectiva, & spirituali: in fine autē pro imagina-
tione, seu phantasia corruptibili, & corporea. Oc-
currendum verò nunquam intellectum spiritua-
lem dici patibilem, sed absolute intellectum, quod sit
omnia fieri, postea verò addi vocem patibilis, ad o-
stendendum, non ibi iam sermonē haberi de pri-
ori intellectu, sed de phantasia: quod patet etiam ex ad-
iunctis verbis, *& sine hoc nihil intelligit anima*, quæ
otiosa esset, si loqueretur Philosophus de potè-
tia verè intellectiva: clarissimum quippe erat sine
intellectu neminem posse intelligere: loquitur er-
go de phantasia, sine qua etiam nihil intelligimus
in hac vita: alia de hac re adduxi l. 1. c. 11. tractando
de spiritualitate, immortalitateque principij intel-
ligendi hominis: sed nunc data expositio videtur
potissima.

Ex decisione huius dubij sequitur primo intel-
lectum agentem, & possibilem non esse vnū eun-
demque in omnibus hominibus, sed multiplicari
pro multiplicatione animarum, de quo etiam su-
perius citato libro l. c. 12. meminimus: nam multi-
plicata forma, multiplicanter consequenter eius
potentiæ. Secundo sequitur intellectum agentem
potentiam organicam non esse, sicut de intellectu
possibili eodem in lib. c. 9. ostendimus, sunt nimirum
spirituales, quoniam ad actus spirituales im-
manenter efficiendos ordinantur. Tertio sequitur
intellectum agentem ut sic esse tantum potètiā
actiuā: possibilem verò esse passiuā simul, at-
que actiuā, ut dictum est lib. 3. cap. 4.

Dubium deinde secundum est de iisdē intel-
lectibus, an vterque sit lumen: Aristoteles quidem a-
gentem intellectum lumen vocat, idem verò sen-
tiendum de possibili, licet diuersa ratione: notan-
dum est enim ex D. Th. 1. p. q. 77. a. 1. licet lumen pri-
mo sit dictum de materiali hoc, atque tangibili, no-
mine, tamē translatus fuisse ad spiritualia, nō me-
taphoricè, sed propriè, cum lumen propriè sit quic-
quid manifestatiuum est, iuxta illud ad Ephes. 5.
Omnia, quæ arguuntur, manifestantur à lumine: manife-
statio autē etiam in rebus spiritualibus propriè re-
peritur. In primis ergo intellectus agens lumen di-
citur manifestans rem possibili, intellectui nimirum
in actu primo, quatenus producit in illo spe-
cies rerū: quo etiam modo dicitur manifestare, seu
illustrare phantasma, ut c. 2. huius libri expositum
est, neque alia profectò illuminatio procedit ab in-
tellectu agente, quia neque in phantasmate lumen
aliquod producit, neque in medio, cum nullū tale
sit, per quod cognitio intellectus diffundatur: nec
verò in intellectu possibili lumen aliud producit,
quā species: quia neque ipse possibilis alio indiget,
neque illuminatio materialis in rebus spiritualibus
ingenda est. Inferes ergo etiam quodlibet obiectū
sensibile dici poterit lumen, quatenus producen-
do species sui seipsum sensui manifestat. Illatio
quidem in rigore admittenda esset, si vsus ferret.
Fortasse tamen lumen magis dicitur de his, quæ a-
lia, non quæ seipsa manifestant. Deinde intellectus
possibilis lumen quoddam est manifestans veri-
tatem in rebus, & iudicium ferens de illis.

Dices ergo etiam intellectus agens tale aliquod
lumen eritis namque intellectus communiter di-
citur illuminare prima principia, & ex conse-
quenti conclusiones, illis mediantibus. Hinc S.
Thomas in 3. dist. 14. quæst. 3. art. primo scribit lu-
men

8.
Censur.
p. 1. 1. 1.

9.
1. Dubium
hinc est.

10.
C.
m.
18.
di.
1.
a.

SVARE Z
de Angelis, op
nr 6. d. 1. rum, et
anima.

1. 1. 1.
1. 1. 1.
1. 1. 1.
1. 1. 1.

D. V. 1.

